calamitatibus eodem conscendere coguntur, Vt qui sceleratorum fuisset supplicium, eiusdem nunc Dei fieret carnificina; Vt in eo tanquam in orbis terrarum theatro Vniversus Mundus aspiciat Lucernam, ac summe defatigatum Dei Filium excipi non blandissimo Patris sinu sed horrenti crucis ligno; explicantemque brachia non ad charae Parentis amplexum, sed ad luctuosissimam mortem. Nec patibulo satis expleta rabies, ferro etiam confixi pedes, et manus pependere. Vos graviusne patibulum fuerit, an additamentum patibuli considerate. Quid commemorem in ardentissima siti novercale poculum? quid infame consortium, ac publicam latrocinij fidem? quid Parentis exanimatae conspectum? et squalorem? socios à religione delapsos? conuitiorum aculeos, difficiles Viventis ne, an morientis obitus? et Vitam cum morte luctantem? quam multa sunt in Vno supplicio supplicia? quot in Vno funere funera? Quid hic dicam? scelus intolerandum fuit, non coluisse Mundi Regem, facinus immanissimum contempsisse, lacerasse maledictis palmare flagitium, parricidium execrandum caecidisse Verberibus: quid exquisitissimis supplicijs affecisse? quid omnem illius sanguinem exsorbuisse? quid in crucem in oculis praeclarissimae ciuitatis extulisse? quid Innocentissimu